



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorum Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia

Ab anno CCCXIV. ad annum CCCXLVI.

Parisiis, 1644

III. Vt accusatores & accusationes quas leges saeculi non admittunt,
repellantur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15072

III.

Est etiam in iam fata Nicæna concorditer statutum Synodo, accusatores & accusationes, quas sæculi leges non admittunt, a sacerdotali funditus auerti documento. Ecce, Psal. 132.
inquit Propheta, *quam bonum & quam iucundum, habitare fratres in unum.* Illi vero non in unum habitant, qui a fratribus se solatio subtrahunt, aut fratribus insidias præparant. Non alieno vos, fratres, patiamini peccato grauari: quia quod necesse est, nos dicere veremur, id est, ne cuius religio dissipatur, indignatio prouocetur. Præ oculis habete, & tota mentis acie reuerenter aspicite beati Petri gloriam, & cum ipso communes omnium apostolorum coronas, cunctorumque martyrum palmas, qui pro fratribus non destruotione, sed confirmatione & veritate in Christo passi sunt.

IV.

Nos ergo, qui Domini discipuli & dici & esse volumus, portare crucem Christi, & compati fratribus debemus, & non persequi. Subtrahite (rogamus) actus cogitationesque a talibus documentis, si non vultis ipsam in vos suscipere vltionem: quoniam talionem meretur qui fratri foueam præparat. Et nos scitote hunc typhum deinceps non esse passuros, vt ea quæ ad hanc specialiter sanctam pertinent sedem, sicut iudicia episcoporum & maiores ecclesiæ causæ, vt paulo superius prælibatum est, vos patiamur nobis inconsultis inuadere absque vestri status periculo. Sed si quis ab hodierna die & deinceps episcopum præter huius sanctæ sedis sententiam damnare, aut propria pellere sede præsumperit, sciat se irrecuperabiliter esse damnatum, & proprio carere perpetim honore, eosque qui absque huius sedis sunt eiecti sententia vel damnati, huius sanctæ sedis auctoritate scitote pristinam recipere cōmunionem, & in propriis restitui sedibus: quoniam & prius, a tempore scilicet apostolorum, hæc huic sedi sanctæ concessa sunt, & postea in memorata Nicæna Synodo, propter prauorum hominum infestationes, atque hæreticorum persecutio-nes, & insidianantium molimina fratribus, sunt concorditer ab omnibus corroborata, vt magis singuli * prouideant, ne talia audeant perpetrare, & caueant, si non propter Deum & amorem fratribus, tamen propter opprobrium homi-

Concil. Tom. 2.

B b b ij